

intendit lucrum ex mutuo, etsi periculum in se suscipiat. — Cæterum loquendo pro foro animæ, et in ordine ad Deum, si mutuans recipiat aliquid ultra sortem ratione mutui, seu ea intentione mutuet, ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in se suscipiat, absque dubio erit usura; quia hæc sua voluntate committitur, c. *Consulti*, h. t. Sed si vere non intendit lucrari ex mutuo, sed tantummodo accipere mercedem, sed pretium periculi in se suscipiat, arg. l. *Periculi*, ff. de *Fenore nautico*, talis in foro interno et quoad Deum, non est usurarius. Et hac de causa in sæpe cit. c. ult. h. t. notanter dicitur, usurarius est censendus, videlicet quoad forum exterius Ecclesiæ: non autem usurarius est. Patet proinde, quod in ordine ad Deum tota hæc res ab intentione distinguitur, et specificetur: quamvis nisi aliud exprimitur, in foro externo hic præsumatur intervenire usuram, per textum citatum, quem utpote satis difficilem, necesse fuit uberius explicare. (ADNOTATIO XXXIII.)

## § V.

DE USURA MORATORIA, SEU PUNITORIA, ET DE TITULO EX QUO FIT, ET LICITA REDDITUR, PENA VIDELICET QUÆ OB CULPABLEM MORAM SOLVENDI APPONITUR.

78. *Usura moratoria, quid?* — Queritur I. Quid, an, et quibus ex titulis licita sit usura moratoria seu punitoria? Resp. I. Usura moratoria seu punitoria est, quando mutuator aliquid ultra sortem, vel summum capitalem exigit a mutuatario non vi solius mutui, sed in pœnam moræ, quam committit in solvenda seu restituenda debito tempore sorte seu summa capitali. Ita in re communi. Potest autem pœna hujusmodi esse vel legalis, id est a lege vel statuto imposita: vel judicialis, id est, a iudice ad instantiam creditoris dicta: vel conventionalis, id est, mutua conventionione mutuatoris, et mutuatarii statuta.

79. *Licita est usura moratoria non tantum ex opposita pœna legali et judiciali.* — Resp. II. Certum est, licitam esse usuram moratoriam, si pœna est legalis vel judicialis. Sylvester *ŷ. Usura*, 1, n. 28. Castro Palao, tract. XXXII, disp. 4, pun. 16, n. 3. cum communi aliorum. Ratio est, quia cum hujusmodi constitutio pœnæ nil contineat iniquitatis, sed ad contractus debitam observan-

tiam serviat, tam a supremo legislatore per legem, quam a iudice ad instantiam partis licite et valide imponi potest.

80. *Sed etiam ex pœna conventionuli per contractum inter mutuatorem et mutuatarium appõsita.* — Resp. III. Licita quoque est usura moratoria seu punitoria ex pœna conventionali, seu licitus ac validus inter mutuatorem et mutuatarium est contractus et pactum, ut mutuatarius, si ex culpa tempore statuto non solverit mutuum, teneatur certum aliquid in pœnam solvere ultra sortem, ita doctor subtilis, 4, dist. 15, quæst. 2, § De secundo articulo. Covarruvias, p. 2, de *Sponsal.*, cap. vi, § 8, n. 5. Palao, loc. cit., n. 5. Abbas, in c. *Suam*, 9, de *Pœnis*, in 6. Layman, lib. III, tr. IV, cap. xvi, n. 12, cum Glossa communiter recepta in c. *Conquestus*, 8, de *Pœnis*, in 6, contra paucos alios. Ratio est, quia imprimis talis pœna juste imponitur, ac exigitur, ut mutuatarius, sic quasi constringatur statuto tempore reddere sortem, et ne sua culpa impune fallat, arg. c. *Dilecti*, 4, de *Arbitr.* Deinde, quia talis pœna, quæ ultra sortem exigitur, non solvitur vi mutui, sed ob moram seu culpam non solvendi mutuum, siquidem debitor, qui est in mora culpabili, peccat contra justitiam, retinendo alienum invito domino, unde juste punitur pœna conventionali.

81. *Solvitur objectio.* — Non obsiat, quod l. *Pœnam*, 44, ff. *Usur. et fruct.* dicitur: « Pœnam pro usuris, stipulari nemo supra modum usurarum licitum potest. » Respondetur enim, per hunc textum reprobari duntaxat pœnam conventionalem immoderatam non moderatam. Barrios., in c. *Suam*, 9, de *Pœnit.*, n. 4.

82. Dices: Nemo potest alteri pœnam imponere, nisi superior; ergo. Resp. enim, id verum esse loquendo de pœna legali, aut judiciali, utpote ad quam etiam invitatus obligari potest per superiorem: secus est de pœna conventionali, quæ ex pacto seu mutuo partium consensu, atque conventionione imponitur. Nam ut habet *Regula* 85, juris in 6. Contractus ex Conventionione legem accipere cognoscuntur, cum Concordantiis.

83. *Requiritur tamen ad hoc primo, ne fiat in fraudem usuræ.* — Cæterum ut hoc licite fiat, sequentes requiruntur conditiones. Prima est, quam doctor noster loc. cit. et cum eo Lessius, l. II, cap. xx, dub. 15, assignat, ut non fiat in fraudem usurarum,

sive ad has pallio illius tegendas, quod tunc censeretur fieri (inquit doctor noster loc. cit.) si creditor vellet diem transire potius, quam pecuniam ipso die solvi.

84. *Secundo, et mora solvendi vere sit culpabilis.* — Secunda conditio est, ut debitor vere sit culpabilis in mora solvendi: ad hoc autem, ut quis dicatur esse in mora, requiritur, quod sciat vel scire debeat, se debere: quod interpellatus fuerit a die vel homine; et quod possibilitatem dandi habuerit, nec tamen reddiderit. Unde si mutuatarius revera sit factus impotens, vel alias a solvendo sine sua culpa impediatur, non potest exigi dicta pœna conventionalis prout communiter tenent doctores, arg. cit. c. *Significante, de Pignor.*, et l. *Trajectitiæ*, 23, ff. de *Obligat. et Act.* Ratio est, quia ubi culpa non adest, pœna exigi non potest; cum, qui culpa caret, in damnum vocare non debeat, c. *Cognoscentes* 2 de *Constitut. cum Concordantiis*. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, num. 215. Lessius, lib. II, de I. et I., c. 20, n. 131. Hinc in conclusione, n. 89, posita notanter dicitur: Si ex sua culpa, etc.

85. *Tertio, ut pœna sit moderata, et proportionata culpæ.* — Tertia conditio est, ut mora non solum sit culpabilis, sed etiam notabilis, et pœna proportionata, nam immoderata non valeret. Lessius, l. cit. n. 134. Pirbing, h. t. n. 52. Hinc et in simili pactum legis commissoriæ in pignoribus (id est, ut pignus creditoris, si certo tempore debitor non solverit) reprobat a jure, ut habetur in c. *Significante de pignoribus*, cum Concordantiis ibidem a Glossa relatis.

86. *Quarto, ne terminus sit nimis brevis.* — Quarta conditio est, ut sub pœna conventionalis ad solvendum non præfigatur terminus nimis brevis, sive talis, intra quem creditor scit, debitorem solvere non posse; tunc enim pœnæ lucrum potius, quam solutionem quis intendere præsumeretur. Lessius, loc. cit., num. 131. Molina, disp. 317, n. 6. (ADNOTATIO XXXIV.)

## § VI.

EXAMINANTUR VARIÏ CONTRACTUS, ET ACTIONES, AN SINT USURARIÏ NECNE.

87. *Usurarium est ratione solius carentiæ pecuniarum.* — Queritur I. An ratione carentiæ pecuniæ, vel obligationis non repetendi eam certo tempore, possit aliquid ultra

sortem mutuo datam exigi? Resp. I. Cum doctoribus passim, quod ratione solius carentiæ pecuniæ, aut alterius rei usu consumptibilis mutuatae non possit licite aliquid ultra sortem exigi absque labe usuræ. Ratio est, quia talis carentia rei mutuatae est quid intrinsecum ipsi mutuo; ergo sicut nihil ultra sortem potest exigi ratione mutui, ita nec etiam ratione hujus carentiæ pecuniæ. Unde Innocentius XI merito, anno 1679, sequentem inter alias damnavit propositionem: Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

88. *Vel obligationis certo tempore non repetendi sortem aliquid contra sortem exigere.* — Resp. II. Idem satis communiter docent doctores de obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. ante annum, siquidem omne mutuum affert secum obligationem non repetendi sortem per aliquod tempus (alioquin enim foret merum precarium) ac proinde dilatio repetitionis est de ratione intrinseca mutui; ergo sicut nihil potest ultra sortem exigi ratione mutui, ita nec ratione hujus obligationis. Et certe alioquin nullus re ipsa esset usurarius, ut bene notat Lugo, tom. II, de *Justitia et Jure*, disp. 25, sect. 3, contra paucos alios oppositum tenentes.

89. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod hæc obligatio non repetendi per annum videatur aliquid superaddere ipsi mutuo, utpote cum possit dari mutuum ad mensem, aut ad aliud tempus. Resp. enim, licet aliquid addat supra mutuum in communi, non tamen superaddit supra hoc mutuum in specie, seu individuo. Intellige tamen hactenus dicta, nisi interveniat ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, aut alius ejusmodi titulus justus.

90. Adde, quamvis quis a principio mutuet, v. g. ad mensem, et postea proroget tempus solutionis usque ad annum, adhuc præcise ratione hujus prorogationis, seu obligationis non repetendi ante annum, nihil posse exigi ultra sortem; quia censetur duplex mutuum, seu continuatio primi; unde, sicut nihil potest ultra sortem exigi pro prima obligatione non repetendi, ita nec pro secunda, cum quælibet sit quid intrinsecum tali mutuo. Et certe alias omnis usura

tolleretur, si quis ab initio non nisi ad hebdomadam, vel diem mutuaret, et postea prolongando tempus aliquid ultra sortem exigeret.

91. *Si mutuarius ex mora benevolentia vel gratitudine mutuatori aliquid ultra sortem dat, non est usura illud accipere.* — Quæritur II. Utrum sit licitum accipere, aut exigere ex mutuo lucrum vel commodum, quod ex benevolentia, gratitudine, ac liberalitate mutuarii provenit? Resp. I. Certum est, si mutuarius, idque ex mera liberalitate et gratitudine pro beneficio accepto quid ultra sortem det, id accipere, carere labe usuræ, neque mutantem obligari ad restitutionem rei ultra sortem acceptæ, sed præcise ex mutuarii liberalitate et gratitudine. Caret controversia. Ratio patet quia talis vi mutui nil exigit, sed præcise id recipit, quod alter ex liberalitate et gratitudine, vel obligatione antidotali præstat.

92. *Bene vero usurarium est, si intervenit pactum, ut mutuarius saltem ex titulo liberalitatis, vel gratitudinis aliquid ultra sortem det, vel præstet mutuatori.* — Resp. II. Si tamen pacto interveniente mutuator in contractu mutui quidpiam exigat a mutuatorio titulo bonæ voluntatis seu gratitudinis, committitur usura saltem palliata. Ita in re certa doctorum. Ratio est, quia licet tali pactioni adjungatur titulus benevolentiae et gratitudinis, tamen obligationem justitiæ non excludit; cum vere pacisci, et obligationem justitiæ inducere, non possit separari. Hinc etiam in Jure Bavarico, fol. 498, inter alios ille censetur usurarius subjectus qui præter consuetum censum seu interesse petit aliam pecuniam sibi a mutuatorio solvi gratitudinis ergo, vulgo ein Dienst-Geld. Et Innocentius XI, anno 1679, sequentem inter alias damnavit propositionem: Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.

93. *Doctrina practica ad propositum.* — Infertur usuram committere, qui mutuum dat hac conditione, ut mutuarius saltem ex titulo gratitudinis, vel benevolentiae apud mutuatore prius, vel potius, quam apud alios necessarios pretio ceteroquin justo accipiat merces, v. g. panem, vinum, cerevisiam, ad molendum ipsius, vel furnos, frumentum molendum, panes coquendos deferat; uti contra Angelum *ŷ. Usura 1,*

*ŷ 5, bene docet D. Thomas 2, q. 78, a. 4. Molina, de I. et I, disp. 309, n. 6. Layman, lib. III, tr. IV, cap. XIV, n. 3. Ratio est, quia per hoc imponitur onus pretio æstimabile, dum aufertur mutuatorio libertas emendi merces, etc., ubi vult.*

94. *Imo usurarium est, si quis absque omni pactione principaliter ratione mutui aliquid intendit aut sperat.* — Quæritur III. An etiam, et quando usurarium sit, ultra sortem absque ulla pactione aliquid intendere solummodo, et sperare, vel rogare dandum aut præstandum a mutuatorio titulo benevolentiae et gratitudinis? Resp. I. Qui etiam sine omni pactione principaliter tamen vi solius mutui aliquid pretio æstimabile intendit solummodo, et sperat, mutuum alias non daturus, nisi aliquid inde speraret, veram usuram committit, et ad restitutionem recepti tenetur. Ita communis tam theologorum, quam canonistarum, cum Glossa in c. *Consuluit*, 10, h. t. *ŷ. Sperantes*, textu expresso eod., c. *Consuluit*, h. t. ubi ad quæstionem: An ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuum pecuniam credidit, ut, licet omni conventionem cessante, plus tamen sorte recipiat? Respondet Papa, talem male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter esse judicandum. Ratio ibidem ex Evangelio additur: Mutuum date, nil inde sperantes: nota ly sperantes, et supple cum Glossa principaliter. Nam

95. *Non autem si minus principaliter, seu secundario quid intendat aut speret.* — Resp. II. Qui dat mutuum, et sine ulla pactione secundario tantum inde aliquid intendit, et sperat, idem daturus mutuum, etsi sciret, se id, quod sperat, non obtenturum, ab usura, et alio peccato liber est. Navarrus, *Manual.* cap. XVII, num. 209. Barbosa, in c. *Consuluit*, h. t. in 6, et ibi Glossa, cit. *ŷ. Sperantes*, arg. can. *Quid proderit*, 7, dist. 61, et can. *Si Officia*, 2, dist. 59. Ratio est, quia, cum mutuarius aliquid possit dare, imo ex Antidotali obligatione mutuatori obligatus sit, utique poterit hic aliquid etiam saltem secundario sperare, et intendere.

96. *Vel etiam roget.* — Resp. III. Pariter usura caret, si dans mutuum sine ulla pactione, vel obligationis præmissione simpliciter rogat, et supplicat mutuarium, ut intuitu mutui sibi dati hoc vel illud obsequium præstet mutuatori, hoc aut illud gra-

tuito faciat, vel donet. Palao, *de Justit. commutat.*, disp. 4, pun. 11, num. 2. Lessius, lib. II, cap. xx, dub. 8, Molina et alii. Ratio et fundamentum hujus conclusionis est, quod in præcedenti: quare, uti ibi dictum, etiam hic notandum est, ne videlicet principaliter, sed minus principaliter ac secundario ratione mutui quid intenderet, et speraret, usurarium est, juxta dicta n. 94. Fatentur tamen doctores citati, hanc rogationem esse valde periculosam.

97. *Qui ob solam dilationem solutionis rem pluris vendit, quam valet, usuram palliatam committit.* — Quæritur IV. Utrum ob solam dilatam solutionem vendens rem pluris quam intra justum pretium valet, usuram saltem palliatam committat? Resp. Affirmative: nisi rationabiliter dubitetur, an plus minusve tempore solutionis sit valitura. Ita habetur c. *In civitate*, etc. *Consuluit*, h. t. et ibi doctores. Siquidem sola mora solutionis, nisi damnum inde emergat, aut lucrum cesset, etc., non est pretio æstimabile, ac re ipsa hic intervenit mutuum, et usura palliata: ac proinde merito talis contractus censetur usurarius.

98. *Solvitur obiectio.* — Nec obstat cit. c. *In civitate*, h. t. ubi dicitur: Licet contractus hujusmodi ex tali forma non possit censi nomine usurarum nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt. Siquidem in c. *Consuluit* eod. clare habetur, tales esse etiam usurarios pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura et superabundantia prohibeatur in lege. Quomodo autem hi textus non sint contrarii, solvit Glossa hic *ŷ. male agere*, dicens: quod c. *Consuluit*, h. t. sit intelligendum pro foro animæ, sive quoad Deum, ubi tales sunt judicandi usurarii propter intentionem, quam habent: E contra vero c. *In civitate*, h. t. sit intelligendum quantum ad judicium Ecclesiæ seu contentiosum. Siquidem tales contractus quoad formam non dicuntur usurarii (nam contractus emptionis et venditionis ex sui forma non est usurarius, quia usura non committitur præterquam in mutuo) sed contrahentes propter pravam intentionem quoad Deum usurarii videntur. Et hanc Glossæ opinionem sequuntur, et a nullo refelli testatur Fagnanus c. *In civitate*, h. t. n. 4 et seqq.

99. *Sine usura mutuo datur, vel venditur res consumptibilis cum obligatione, ut in eadem quantitate futuro tempore restituatur, aut pretium tunc currens reddatur, si nescitur, an*

*futuro tempore plus minusve valeat.* — Quæritur V. Utrum usurarius sit contractus, quo frumentum, vinum, vel alia res, præsertim usu consumptibilis in vere mutuo datur, aut venditur ea conditione, ut in eadem mensura restituatur futuro verno tempore, vel reddatur pretium quo verno tempore constat? Resp. I. Si nescitur, utrum verno tempore res hujusmodi mutuo data, aut vendita plus minusve valeat, ab omni usura immunis est talis contractus. Communis est certa; cum clare decisum habeatur c. fin. h. t. Ratio est, quia nulla intervenit inæqualitas inter contrahentes, hoc ipso, quod utriusque periculum damni, et spes lucri sit æqualis.

100. *Secus est, si scitur.* — Resp. II. Si vero certum, aut saltem multo probabilius est, valorem rei pro futuro ad solvendum determinato tempore fore augendum, veram usuram apertam committit, qui ita mutuum dat, et palliatam, qui ita vendit, nisi forsitan ipsemet alias hujusmodi rem ad tale tempus reservasset. Navarrus, cap. XVII, num. 219. Palao, loc. cit., pun. 13, num. 5. Layman, sect. V. tr. IV, cap. XVI, num. 14 et 15. Covarruvias, *Variar. resolut.*, cap. III, num. 6. Pirning, h. t. num. 57. Ratio patet, quia talis ultra quantitatem creditam aliquid, videlicet quantitatem majoris pretii sine ullo justo titulo exigit, consequenter ita mutuum dando, apertam usuram committit; vendendo autem usuram palliatam.

101. *Nisi forsitan mutuator, aut venditor ipsemet talem rem pro futuro tempore reservasset.* — Dicitur autem notanter, nisi forsitan ipsemet alias hujusmodi rem ad tale tempus reservasset; cum enim in tali casu mutuator aut vendens patiatur lucrum cessans, quod servando talem rem habere potuisset, utique pro quantitate lucri cessantis, deductis tamen sumptibus pro conservanda re necessariis, præfatum contractum licite facere potest. Navarrus, loc. cit.; Molina, disp. 311, n. 4; Lessius, lib. II, c. 20, n. 145; Layman, loc. cit. et alii.

102. *Chirographum, seu debitum alienum minoris emere licet, quando adest justus titulus.* — Quæritur VI. Utrum si emptor chirographum, sive nomen et debitum alienum minori pretio, v. g. debitum centum florenorum, octoginta florenis emat, usura committatur? Resp. I. Quando pro obtinendo tali debito etsi alias liquido et certo, ob debitoris inopiam, potentiam, absentiam, vel

aliam causam requiruntur sumptus, labores, vel timenda sunt odia, pericula, etc., vel si ratione pecuniæ pro illo expensæ intervenit lucrum cessans aut damnum emergens, nulla committitur usura. Communis doctorum. Ratio clara est, quia cum hæc sint pretio æstimabilia, ratione illorum utique minoris emere licet hujusmodi debita.

103. *Secus si justus titulus adest.* — Si vero nullus hujusmodi titulus adest, vera usura committitur. Ratio patet, quia tunc præcise ob præsentem pecuniam, et anticipatam solutionem minore major pecuniæ quantitas exigitur, quod usurarium esse, ex dictis constat.

104. *Quid juris? Si creditor principalis quidem difficultatem, labores et sumptus sentire debeat in acquirendo debito; non vero emptor illius.* — Resp. II. Casu, quo in obtinendo debito creditor principalis quidem difficultatem, laborem, et expensas sentire deberet, emptor vero talis debiti illud facillime, et sine ullis expensis integrum acquirere posset, ex eo, quod apud debitorem, principem, v. g. vel magnatem specialiter in gratia existat, vel magna apud illum merita habeat, vel alias extraordinaria industria acquirendi polleat, etc. Usuræ reus non est, si debitum hujusmodi minoris emat. Molina, disp. 361, n. 10; Lessius, lib. II, cap. XXI, n. 76, et alii. Ratio est, quia debiti valor non ex statu, et quantitate emptoris, sed ex communi æstimatione desumendus est; secundum communem æstimationem autem, et seclusa gratia, seu favore principis debitoris, debitum hujusmodi minus valet; ergo.

105. Aliud foret, et usuræ reus esset, si emptor hujusmodi esset præfectus ærarii, vel talis officialis, cujus officium est, creditoribus principis ex illis ærario solutionem præstare, aut demandare, uti bene advertit Lessius, loc. cit. n. 78; Salas, de Usura. dub. 27, n. 8. Ratio est, quia hoc idem esset, ac si ab ipso principe pro centum post annum solvendis, solverentur octoginta.

106. *Etiam ob favorem causæ piæ non licet exigere aliquid ultra sortem.* — Quæritur VII. Utrum non saltem ob favorem causæ piæ, vel ob aliud opus bonum absque alio justo titulo licitum sit, exigere aliquid ultra sortem? Resp. Negative, conclusio caret controversia, ob claram decisionem juris c. *Super eo*, 4, n. t. Nam cum ibidem Pontifici proposita esset, quæstio, an possit saltem

ex dispensatione pecunia dari ad usuram, ut inde pauperes in potestate et captivitate Saracenorum detenti liberentur? respondit Papa, quod cum usurarium crimen, utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam fieri posse, non videmus; quia cum Scriptura sacra prohibeat pro vita alterius mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur.

107. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; eleemosynæ non sunt faciendæ de bonis alienis, etiam divitis, vel de usuris.* — Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ad Romanos, III, §. 8. Nec est facienda eleemosyna, vel charitas aut aliud opus pium de rebus alienis, vel de fœnore, et usuris, arg. can. *Non est putanda*, 27, cau. 4, q. 1, ibi: « Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur; quia si hac intentione, male accipitur, ut quasi bene dispensetur, gravatur potius, quam juvatur: » et infra: « Ne ergo sub prætextu eleemosynæ cum peccato studeamus aliquid accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet dicens, hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere; quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis non placat iracundiam, sed irritat: hinc scriptum est: honora Dominum de tuis laboribus, » et can. 1, cau. 14, q. 5. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore, et usuris: neque licet illicite auferre aliquid divitibus, ut detur pauperibus, vel ad alias pias causas, can. *Forte aliquis*, 3, ead. cau. et q. cum concordantiis ibid. Accedit, quod etiam ex charitate pro vita alterius conservanda non liceat mentiri, can. *Ne quis*, 14, et can. *Si quis*, 17, cau. 22, q. 2. Ergo multo minus exercere usuram; cum hæc gravius crimen sit, quam mendacium, cit. c. *Super eo*, 4.

Num vero saltem ex dispositione supremi Domini, vigore domini alti id licite fieri possit, vide dicta supra.

#### § VII.

DE PACTO ANTICHRISEOS, ET LEGIS COMMISSORIE; AC DE MONTIBUS PIETATIS, AN SINT USURARI, NECNE?

108. *Pactum antichriseos, quid?* — Quæritur I. Quid, an et quando usurarium sit pactum antichriseos? Resp. I. Antichrisin (vulgo

ein Pfandschaft) esse pactum inter creditorem et debitorem, ut creditor tamdiu pignore sibi per debitorem porrecto uti, ejusque fructus lucrari possit, donec debitum sibi sit persolutum. Ita in re communis, et jam dictum est supra lib. III, tit. XXI, de *Pignor.* § 2, a n. 33.

109. *Est illicitum et usurarium, nisi adsit justus titulus.* — Resp. II. Pactum antichriseos, nisi alius justus titulus interveniat, esse illicitum ac usurarium. Ita Layman, lib. III, tract. IV, cap. XVI, n. 17, cum theologis, et canonistis communiter, contra quosdam civilistas. Patet id ex c. 1 et 2, h. t. juncto Summario ibid., ubi dicitur, quod sit usura lucrificare fructus rei pignoratæ. Unde severissime ibidem præscribitur, quod si quis sortem suam (deductis expensis) de fructibus pignoris jam receperit, absolute illud restituat debitori, vel computentur in sortem, absque alia usurarum exactione. Concordat c. *Cum contra*, 6, de *Pignorib.* ubi dicitur, quod secundum canonicas sanctiones fructus pignoris restitui, et in sortem debeant computari: item l. 1 et 2, c. de *Pignoratis action.* Accedit ratio, quia alioquin mutuator, seu creditor vi solius mutui, atque ratione dilatæ solutionis aliquid lucratur ultra sortem, videlicet fructus pignoris: quæ est manifesta usura per dicta supra. Addidi autem notanter, nisi alius titulus interveniat. Nam tunc secus foret dicendum: et quidem tales tituli plures communiter assignantur, et præsertim quatuor ibid. a Laymano referuntur, ob quos possunt percipi fructus ex pignore, sine diminutione sortis.

110. *Qualis est, si jure census, percipiuntur pignoris fructus.* — Primus est. Si fructus ex pignore vel hypotheca non superent quantitatem pensionis, quæ jure census super eadem hypotheca juxta morem patriæ constituti potest exigi. Sic, ut evitetur usura, potest subministranti pecuniam oppignorari ager, vel prædium adjecto contractu censuali (de quo plura § 8) ut ex eo fructus percipiat jure census, donec sors restituatur.

111. *Item si pignus a creditore emitur, cum pacto revendendi.* — Secundus est. Quando creditor fundum, qui pignori destinatus erat, certo pretio emat cum pacto revendendi, quamprimum debitor vult pretium refundere. Tunc enim res pignori destinata mittit naturam pignoris, et possessori tantam vero domino fructificat, ejusque peri-

culo perit. Porro valere venditionem cum pacto redemptionis appposito, est textus clarus in l. *Fundum*, c. de *Pactis, inter emptor. et venditor.* de quo plura citatus Layman.

112. *Item si pro assecuratione dotis marito nondum solutæ datur pignus.* — Tertius titulus, et casus, in quo fructus pignoris non computantur in sortem, habetur c. *Salubriter, de Usuris*, ubi dicitur, quod maritus, qui recipit pignus pro dote promissa a socero, non teneatur fructus ejus in sortem computare; sed possit interim, donec dos ei promissa solvatur, fructus pignoris absque ulla dotis imminutione percipere, ut nimirum interea habeat, unde suslineat onera matrimonii. Rationem hujus singularis constitutionis dat Pontifex ibi: « Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda: » quasi diceret: cum dos detur ad onera matrimonii supportanda, imo frequenter ad ea non sufficiat, æquum est, ut maritus, qui fructus ex dote utpote necdum soluta percipere nequit, eos interim percipiat ad eum finem ex pignore pro dote deposito.

113. Uno verbo: fructus pignoris istius conceditur marito ratione lucri cessantis, quod ex dote, si jam fuisset persoluta potuisset accipere; cum fructus dotis alioquin cedant marito ad sustinenda onera matrimonii. Hinc, ut optime Lessius, lib. II, cap. xx, n. 141, cum aliis, quamvis, si pignus creditori detur ob solam securitatem debitorum, debeant fructus ex eo percepti in sortem computari per textum n. 109 relatos. Secus tamen est, si pignus non ob solam debiti securitatem detur, sed etiam, ut interim creditor fructus ejus percipiat loco alterius rei debitæ, ut fit in causa dotis non solutæ sub cautione pignoris dati.

114. *Sicut etiam, si vasallus domino directo pro pignore dat feudum, vel emphyteusin.* — Quartus tandem titulus, et casus, in quo fructus pignoris non computantur in sortem, habetur in proprietario seu domino directo feudi, vel etiam emphyteusis: nam dominus a vasallo recipiens feudum in pignus (idem intelligunt doctores de emphyteuta, oppignorante rem emphyteuticam suo domino directo) fructus illius percipere potest; dummodo interim ab ipsius servitiis abstinere, nec tenetur fructus ejus in sortem computare. Ita enim habetur clarissime cap. 1, de *Feudis*, et c. *Conquestus, de Usuris*, juncta Glossa ibid. §. de *Feudo*.